

ASIMVS PRIMVS PRAESVL CVRIENSIS.



Asimus ille eruditione et pietate insignis fuit, Itaque ad Rhetos profectus eius loci homines uerbo Dei instituit, atque Christianos in fide uera confirmauit. suo etiam exemplo impios ad uitæ innocentiam perduxit. Hinc factum ut in eo loco Ecclesiam colligeret, atque primus Curiensium Episcopus fieret, anno post Christum natum quadragesimo quinquagesimo, eo nimirum tempore cum Athila Hunnus Europam uastaret. Is ergo optimi Episcopi munere functus, sua prædicatione homines in cruce consolatus est, & in fide per seuerantibus æternam gloriam ostendit. Interfuit etiam Concilio quod Leo pontifex iussu Valentiani & Martiani Cæsarum celebrauit, ut Conciliorum liber testatur, anno 452. tandem uero moriens Puritio discipulo suam Ecclesiam commendauit. Ut autem huius Episcopatus antistites cognoscamus, eos ordine subiçere placuit. Ioan. Stumpff. lib. 10. de Rhetis.